



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Exempla spernentium, fugientium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Spirituale quid faciens, & humanam respiciens gloriam, mercedem suam hic accepit; & jam ultra Deum non habet debitorem. S. Chrysost. hom. 31. in Gen.

Onovæ calamitatis genus! ô furiosam hanc turbationem! quæ tinea corrodere non potest, nec fur violare; ea inanis gloria omnino dispergit. Hæc est tinea coelestis thesauri, hic est fur, qui æterna regna furatur; qui immarcescibiles à nobis divitias auferit; qui tanquam contagiosus morbus, omnia corrumpit. Id. hom. 72. in Matth. 22.

Amittit meritum iustitiæ apud DEUM, qui idcirco iuste vult vivere, ut gloriam humanæ laudis acquirat. Id. hom. 8. in Matth.

Elegerim potius innumerorum barbarorum servitutem, quam semel unius inanis gloriæ. Nèque enim talia captivis suis illi imperant, qualia subditis suis ista mandat. Id. s. 17. in ep. ad Rom. c. 10. Qui quidquam sibi vendicat, quod debetur Christo, fur est, & latro; eò damnabilior, quò Deo chariora prædatur. *Gloriam meam alteri non dabo.* II. 42. 8. S. Laurentius Iust. tr. de compunct.

Crux præfens scala est ad gloriam, Et è converso præfens gloria scala est ad crucem æternam. Hugo Card. in Gen. 40.

Constat è Roma subterranea, & philologis, qui de subterraneis lucernis, lampadibusque, scripsere: sepulchralem lucernam per annos, imò sæculum non unum, absconditam arsisse; mox verò, ac aura eam afflavit, fuisse extinctam. Sic fervorem nostrum abscondit, custoditque, humilitas; extinguit verò superbia, quando illum vanitatis aura afflavit. Nadasi 6. mense amoris Dei c. 12. Tulliolæ corpus Clemente VIII. Pontifice repertum ajunt in Italia plumbeò loculò in speciem prorsus integrum; juxtaque lampadem etiam jam tum è multis sexcentis, & ultra, annis accensam, ac lucentem; Verùm, ut loculus aperiri cœptus est, mox lucerna illa extincta est, & ipsum cadaver sensum resolvit, atque in cineres abire visum. Simile quid amoris lampadi usquevenit; quæ perfacile solò hominum respectu, ac favore, extinguitur; nitòque charitatis, ac species, deperditur. Doultreman I. 4. 3. l. 2.

§. III.

Exempla Gloriam vanam spernentium, & fugientium.

Num. I.

Christus Dominus.

Egressus abiit in desertum locum. Marci 1. 37. Secedit Christus pusillum in desertum locum, quò absens eorum desiderium acuat, qui illum sequebantur: suòque nos exemplò admonet, ut post miraculum patratum, aut opus aliquod illustre perfectum, aliquò seorsum secedamus: nè quod inanis gloria venenum aut humanæ laudis studium, in animos nostros irrepat; sed Deo sua ubique gloria, debitæque gratiarum a-

ctio nusquam non constet. Victor Antioch. in Marcum.

Agebat in spiritu in desertum. Luc. 4. 1. ut formam præstaret vitandi laudem humanam, & omnem gloriam vanam: ut laudati, & honorati, quæramus latere, & optemus nesciri. Dion. Carth. hic. c. 4.

Ecce sanus factus es. Joan. 5. 14. Non dicit, sanum te feci: in quo monet nos fugere jactantiam de bonis operibus; contra illos, qui dicunt II. 10. 13. *in fortitudine manus meæ feci.* Hugo Card. hic.

Si opprobrium tuum gloria est, Domine Jesu, quanta est gloria tua? Tuæ igitur gloriæ participatione quid erimus, cujus sumus opprobrio gloriosi? S. Ambros. in Ps. 118. actor. 5. Auster à me opprobrium &c. Quid stabulum eligit? planè ut reprobet gloriam Mundi, damnet sæculi vanitatem. S. Bernardus f. 3. in Nat. D.

Num. II.

Exempla alia.

Percussit bis in cervicem ejus, & abscondit caput ejus. Judith 13. 10. Perfectam voluit reportare victoriam. Hostis noster non semel; sed iterum, est feriendus: ac primum quidem, cum tentatione nos adorat, sed iterum percutiendus; curandūque, nè gloriæ succumbamus, quam prior nobis victoria peperit. Did. Niss. D. 1. Quadr. §. 8.

Judith universa vasa bellica Holofernis obtulit in anathema oblivionis. c. ult. 23. S. Chrysostomus: reliquit omnia vestimenta, nè succumberet. Quid? nè succumberet? illa bellicosa virgo, quæ Holofernis potentiam non timuit, metuit spolia? Voluit hæc sancta vidua significare: quis scit, an non, ad conspectum horum spoliolorum, mentem invadat vana gloria, dum heroica gesta confidit; possent mihi esse occasio incurrendi in sublimem æstimationem de me ipsa. Apage ergo; abeat ex oculis meis; nolo ea videre, nec retinere. Paoletti Dom. 18. Pent.

Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini? Act. 3. 12. q. d. oculos à nobis amoveat, & in Deum potius convertite: nos gloriam, aut favorem vestrum, minimè ambimus. Drex. Ros. select. p. 2. cap. 14. §. 5.

Mulier amicta sole, & Luna sub pedibus ejus. Apoc. 12. 1. Ecclesia CHRISTI lumine cincta gloriam calcit temporalem. V. Beda. hic.

An unquam David in psalmis aut meminit gigantis fundæ prostrati, aut provinciarum victorijs suis subjugatarum; aut Philistæorum caesorum; aut Moabitærum; aut cumulatorum ad templum Domini thesaurorum, spoliolorum super altare appensorum? Contra, in quàm multis psalmis plangit thorum Bersabææ, & sepulchrum Uriæ! Quantâ severitate censuræ peccatorem se nuncupat! quantò lacrymarum diluvio sua immergit flagitia! Oliva t. 3. conc. 27.

S. Catharina Sen. in morte luctans cum demonibus, inter alia dicebat: vanam gloriam nunquam; sed veram gloriam, & laudem Domini utique. Bollandus 30. April.

§. IV.

Gloriam fugiendo assequeris.

Hæc, quæ non postulasti, dedi tibi. 3. Reg. 3. 13. Divitias scilicet, & gloriam. Naxera in Jos. 1. §. 38.

Inveni David servum meum, oleo sancto unxi eum. Pl. 88. 21. David à Domino inventus, postquam illum quasivit, non inter alios expectantem eligi, sed singulariter eum fugientem. q. d. David, ubi es? ubi ille, qui fugit honores? Denique fugientem honor, & gloria comprehendit. unde 1. Reg. 13. 14. *quasivit Dominus sibi virum juxta cor suum*, Escob. Mir. Chr. t. 1. l. 7. S. 4. obl. 2.

Præcepit eis, ne cui dicerent etc. Marci 7. 36. quia honor sequitur fugientes. Escobar, mir. Chr. tr. 1. l. 7. Sect. 4. Obl. 2.

Moses negavit se filium filia Pharaonis. Hebr. 11. 24. Verum ipsa dignitatis, & divitiarum fuga auxit dignitatem. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Ex. 7. 1. Fugiendo potentiam potentior factus est: factus est enim in Deum regi Pharaoni. Sancti Ambrosius in Pl. 118.

Sicut inter multas gemmas purissima gemma micat, & jubar solis parvos igniculos stellarum obruit, & obscurat; ita cunctorum virtutes, & potentias, suâ humilitate superavit; minimaque fuit inter omnes, ut major esset: & quanto se plus deiciebat, tanto magis à Christo sublevatur. Latebat, & non latebat; fugiendo gloriam, gloriam merebatur; quæ virtutem quasi umbra sequitur; & appetitores suos deferens appetit contemptores. Sanctus Hieronymus ep. 27. ad Eustoch. Epitaph. Paulæ Matris. Subinitium.

Si glorificari cupis, gloriam despice, & eris omnibus gloriosior. S. Chrysost. hom. 4. in Matth. c. 1.

Gloriam aliter assequi non licet, nisi gloriam fugiendo: nam donec quidem eam sectemur, nos fugit; cum autem eam fugimus, nos ipsa sequitur. Si vis esse gloriosus, noli gloriam concupiscere; si vis esse sublimis, nè te sublimem facias. Id. hom. 39. ad pop. Antioch.

Nil magis admirantur mortales, quam eum, qui gloriam aspernetur: nec quempiam majori laude, & admiratione prosequuntur, quam qui laudari se pro nihilo duxerint, aut magni fieri. Id. serm. de inanis glor. cupiditate.

Quò gloria plus affectatur, eò minus apprehenditur. S. Bernardus ep. 126.

Vide tit. Honor. Humilitas.

✠(o)✠

§. V.

Antidota contra vanam gloriam.

Magis cogitare debetis, quid vobis desit, quam quid vobis adsit. Quod habes, cavè perdas; quod non habes, supplica ut habearis. In quantis sis minor, tibi cogitandum est; non in quantis sis major. Semper tibi displiceat quod es; si vis pervenire ad id, quod nondum es. S. August. l. 53. de V. D.

Qui igne Christi captus fuerit, talis fit, qualis esset homo solus super terram habitans: adeo ei nihil curæ est gloria, & ignominia; sed, quemadmodum si solus habitaret, nihil curaret; ita & talis quoque non curaret. S. Chrysost. hom. 52. in Acta.

Quod in se firmiter stat timore compressum, gravitate modestum, humilitate solum, puritate sanum; aurâ hujus vanitatis nequaquam leviter rapitur. Sapient. Bernardus l. 39. in Cant.

Imitare in pavone diversitatis exemplum. Vider in pedibus rusticum aliquid, quod despicat; ignorat in cauda, quod eum mirabilem reddat. In promptu est, unde se debeat humilitate deprimit; post tergum gerit, unde valeat, quasi præ cæteris avibus superbiere. Te quoque quodammodo, quod in te virtutis est, lateat. Si quid verò vitiosum, ab aspectus tui judicio non recedat. S. Petrus Dam. l. 2. ep. 12.

Pavoni pompaticè se rotanti quidam lemma adjecit: *Desormes oblita pedes.* S. Bernardus spiritualis magister B. Alberti Sartiani, occurrens ei cum Clero, & populo Cortonensi; dum pro munere Nuntij Apostolici equo bene instructo insideret, hominesque accurrentes, vel simbram tacturi; sanctus senex discipulo metuens de inani gloria, voce magnâ clamavit: Frater Alberte, respice ad pedes; memento mortis; cave, nè honores tanti plus æquò animum extollant. In Annalib. Minorum tom. 5. Anno 1441. n. 1.

§. VI.

Nihil tibi; sed Deo omnia, attribue.

Num. I.

Symbola.

Cccurrit ei unigenita filia sua &c. Judic. 11. 34. &c. Occurrit septuaginta virgo parenti bello reduci, laudes patris decantatura, & victoriam gratulatura; sed pater laudatricem pro præmio jugulavit. In bello sumus & nos: re præclare gesta nostra nobis filia prodit obviam, pulcherrimis nos elogijs ornatura. Hæc est, ut Origenes explicat hom. 5. in Gen. inanis gloria. Si vir es, si non vis labores cassos; jugula eam, Deo omnia adscribe. Drexelius de recta int. l. 2. c. 5.

ibant, & reverterebantur. Ezech. 1. 14. Omnia spiritualis exercitij lucra referas ad illius gloriam, qui est Rex gloria. Fur enim, & latro es, si tibi aliquid inde usurpare præsumas. Illuc, unde flumina exeunt, revertantur. Animalia apud Ezechielem *ibant, & reverterebantur*.